

6. mixtionibus in effectum stimulentur. Habent se enim stellæ
 fixæ in cælo veluti matres, quæ nisi à septem errantibus stellis
 stimulentur, & impregnentur, steriles sunt, & nihil in hac in-
 7. feriori natura progignunt. Quàm sæpè observatum est, Ecli-
 pses Luminarium, præsertim solares aut evidentes Lunares
 non caruisse insigni aliquo eventuum effectu? Magnas etiam
 ponderosiorum Planetarum conjunctiones, ingentes muta-
 tiones in hoc inferiori mundo efficere, experientia sæpe do-
 cuit. Sic Anno M.D. LXIII. cum magna contigisset Saturni &
 Jovis combinatio in initio Leonis partiliter, juxta stellæ ne-
 bulosas Cancræ, quas Ptolemæus suffocantes & pestilentes vo-
 cavit: Nonne sequentibus aliquot annis universalis per to-
 tam Europam grassabatur pestis, innumerabilem hominum
 multitudinem absorbens, quæ Astrorum influentiam nimis
 certo eventu comprobavit. Sed longum foret omnia exempla
 experientiæ Astrologicæ recensere, quæ indies veri & diligen-
 tes artifices observant. Hæc igitur ad generalem influentiam
 astrorum in hanc inferiorem mundum, & in aëris mutatio-
 ne, comprobendam, sufficienter dicta sunt. Nunc verò alius
 nobis scrupulus restat enucleandus, cœlum videlicet & cœle-
 stia corpora non solum in subjectum aerem atque elementa;
 sed in ipsum etiam hominem diversimodè influere. Id enim
 plerique quamvis priora, manifesta experientia convicti,
 concedant, nequaquam admittunt: Et hominem siderum ef-
 ficaciæ non esse subditum suis quibusdam ducti rationibus cō-
 tendunt. At nos contrà ostendemus, cœlum non solum in aë-
 ra, sed in ipsum quoque hominem influere. Cùm enim homo
 ex elementis constet, & à terra formatus sit; necesse est, ut eas-
 dem conditiones subeat, quas obtinent res, è quibus constet.
 1. Præterea aer ipse, quem haurimus, & ex quo non minus, quàm
 2. ex cibo & potu alimur, cùm variè afficiatur à cœli influentia,
 ut prius demonstravimus; necesse est nos unà diversimodè af-
 3. fici. Ut intereâ taceam id, quod omnium intellectui non peni-
 tus

Specialis
 siderum in-
 fluentia,
 quæ in ho-
 minem in-
 fluit argu-
 mentis ali-
 quot osten-
 ditur.